



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, 1664**

Qvæst. III. De perfectionibus naturalibus corporis Christi Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

naturalis? Naturalem fuisse nonnulli censent ex co-
 Ploso vnguento, quo Nicodemi pietate conditum fuit,
 vt sepulchro conderetur. Contra verò sententiarum
 alij in 3. d. 21. S. Thom. 3. p. q. 51. à 3. ad 2. vbi Sea-
 rus 5. penult. & Bernal. d. 40. sect. 2. n. 20. super-
 naturalem fuisse contendunt, & miraculosam. Ego
 verò cenfeo miraculosam in se finime fuisse; imò
 verò solam fore miraculosam corruptionem: posita
 enim incorruptibilitatis dote, quæ fuit, non minus
 miraculosa esset etiam diuturnioris cadaveris corru-
 ptio, quàm ægritudo, aut mors hominis Beati, qui est
 impassibilitate donatur. Esset autem, si diutius iace-
 ret, miraculosa incorruptio in causa. De factò au-
 tem, cum triduo solum breuiato iacuerit, quam-
 uis non exenteratum cadaver, tot tamen vnguen-
 ti præseruarii libris vinctum, nec admodum arden-
 te; sed frigescente potius tempore, adeoque exan-
 gue, nihil in ea incorruptione miraculi inuenio.
 Quoad supernaturalitatem, vt eis causis prouenie-
 bat incorruptio, naturalem iudico, vt autem ex
 dote incorruptibilitatis, supernaturalem fore, si diutius
 iaceret.



QVÆSTIO III.

De perfectionibus naturalibus corporis Christi Domini.

DE supernaturalibus corporis Christi perfe-
 ctionibus, vt qualitate attractiua eorum, quos
 veller, eius oculis, & faciei insidente, filios
 inspiceret, vel ab eis inspiceretur, ac simili-
 bus, non est huius loci; sed historice de Christi vita dis-
 putatio. De naturalibus autem corporis Christi perfe-
 ctionibus, quæ defectibus naturalibus ad veræ hu-
 manitatis suæ fidem, atque nostræ redemptionis fi-
 nem necessariis opponuntur, certum est Christo de-
 fuisse: quare hic de temperamenti perfectiōe natu-
 rali, alii que illud consequentibus perfectionibus agen-
 dum erit.

CERTAMEN I.

Perfectissimum temperamentum, & perfe- ctiones naturales illud consequentes Christi corpus habuit.

IN perfectissimo ex humanis temperamento est
 conclusio S. Thomæ q. 14 à 4. & antiquorum om-
 nium in 3. d. 15. S. Bonauent. à 1. q. 1. & 2. Richardi q.
 2. & 3. Durandi q. 1. Sorazij d. 32. sect. 1. Probatum
 facile: quia Christum docebat optimum ex humanis
 temperamentum, debeaturque, cum ratione vni-
 onis, & Dei illud corpus assumens: tum ratione ani-
 mæ Christi omnium perfectissimæ ipsam informantis,
 cui proinde eiusmodi temperamentum debebatur: tum
 ex parte principij materiam organizantis, ac tempera-
 mentum producentis, quod principaliter vt causa
 etiam particularis, nec solum vniuersalis Deus fuit,
 cuius specialia opera sunt, perfectissima, vt patet in
 Adamo, atque Eva, atque hoc in primis, cuius perfe-
 ctissimum temperamentum in corpore Deo hyposta-
 ticè vniendo, atque animæ perfectissimæ multo ex
 capite à Deo exigebatur: tum denique: quia hoc nulla-
 tenus cum pœnali nostra redemptione pugnat:
 ex quibus ratio Theologica sic breui conficitur: om-
 nis perfectio naturalis, imò possibilis, extremo vni-
 o hypostaticè cum Deo, quæ muneri redemptionis nos-
 træ, & satisfactionis pœnalis pro nostris peccatis

non repugnat concessa de facto illi à Deo fuit: sed
 perfectissimum temperamentum est non solum pos-
 sibilis; sed naturalis perfectio corporis, quod est ex-
 tremum Deo hypostaticè vniunt, ac redemptioni, &
 satisfactioni pœnali non aduersatur: ergo de facto fuit
 illi concessum. Maior est Theologicum axioma, ex quo
 perfectiones, etiam supernaturales, de facto humanitati
 concessas metimur. Minor per se constat, & consequen-
 tia legitima.


2 Dico secundò: Christi corpus habuit perfectiones
 reliquas perfectissimum temperamentum sequentes, v.
 g. membrorum agilitatem perfectissimam, maximum
 eorum, ac virium naturalium robur, summum seu-
 sum ac facultatum tam vitalium, quàm animalium
 vigorem. Probatum primò ex rationibus datis pro
 conclusione prima, quæ hanc æquè suadent. Secun-
 dò ex ipsa conclusione prima: quia hæc omnia in sum-
 mo perfectionis gradu temperamentum perfectissi-
 mum naturale ex humanis naturaliter consequetur:
 alij huiusmodi fuit temperamentum in corpore Christi:
 ergo, & hæc omnia in summo perfectionis gradu,
 Confirmatur: quia, vt naturales effectus causæ natu-
 ralis negentur, ratio aliqua assignanda efficax est, et
 quam Deus concursum ad illos denegauit: imò etiam
 ad aliquam perfectionem possibilem vni-
 o hypostaticè extremo à Deo denegandam, vt nuper dicebamus
 atqui hæc omnia naturales effectus perfectissimi tem-
 peramenti sunt, atque corpori vni-
 o perfectiones pos-
 sibilis, nullaque est ratio adhuc inefficax, cur Deus suum
 concursum, atque eiusmodi perfectiones vni-
 o sibi cor-
 pori denegat, cum nulla ex eis pœnali redemptioni no-
 stræ à Christo exhibendæ obstat, pluresque ex illis potius
 iuuent, vt sensus vigor summus ad perfectiorem, atque
 acerbio-
 rem tormentorum sensationem, virium robur
 ad maiorem eorumdem tolerantiam: ergo hæc om-
 nia concessa corpori Christi à Deo sunt, nullumque ei
 denegatum.

3 Dico tertio: Corpus: Christi summam habuit pul-
 chritudinem. Est contra Michaëlem de Medina 2. de re-
 cta in Deum fide c. 7. temerè negantem. Probatum pri-
 mò ex Hieronymo t. 3. epist. 160. ad Principium, vbi
 ait: *Uniuersus pulchrior est virgo de virgine, qui non ex iu-
 gibus; sed ex Deo natus est.* Consentunt Clemens Ale-
 xand. 3. pædagog. c. 1. & Nazanz. orat. 2. pasch. dicent
 Christo resurgenti fuisse pulchritudinem restitutam:
 quia natiuus, viuus, ac suavis color passione ac morte
 immutatus, fuit illi restitutus. Consentunt item Patres
 cert. 2. recitandi num. 1. Secundò probatur ex Psal. 44. vbi
 de Christo dicitur: *speciosus forma præ filiis hominum.* Quæ
 licet aliqui Patres de diuinitatis, vel animæ pulchritudi-
 ne, quandoque explicent: de corporis pulchritudine di-
 cta nullibi negant: de hac verò ad litteram intelligent
 Augustinus, & Cassiodorus ibi. Bernard. serm. 1. de
 omnibus sanctis, & Chryostomus homil. 18. in
 Matth. vbi addit: *sicut in signis persciendis mirabili sui,
 sua visu gratiosissimum fuisse dicitur.* A ratione probatur fa-
 cile eis, quas dedimus pro conclusione 2. Insuper ra-
 tione illa conclusionis primæ, quæ hic specialem
 vim habet. Nempè, quod opera, quæ se ipso, vt spe-
 cialis etiam causa, efficit Deus, non nisi pulcherr-
 ma efficit, vt patet in Adamo, & Eva; atqui Deus se
 ipso, vt specialis causa corpus Christi formauit: at-
 que loco viri effecit: Mariæ verò matris foemina
 pulcherrimæ concursus non poterat filij pulchritu-
 dini obesse: ergo enasit corpore pulcherrimus filius
 Christus.

4 Adde speciales pro pulchritudinis naturalis do-
 te hac rationes duas. Prima ex ipsa pulchritudinis
 natura, & essentia: etenim pulchritudo est *Actus
 membrorum integri corporis dispositio cum quadam suau-
 itate natiui coloris, vt Cicero ac Philosophi reliqui,*
 Dionysius 4. de diuin. nominib. Augustinus 22. de
 ciuit. cap. 19. S. Thomas 1. p. quæst. 39. 2. 8. &
 2. 2. q. 145. 2. 2. ceterique Theologi docent:
 atqui in Christo fuit corpus integrum humanum,
 vt ostendimus d. 2. quæst. 3. in tituli explicatione
 finis

fuit item apta membrorum dispositio, quam describit Nicephorus 3. histor. cap. vi. suadentque animæ, & unionis hypostaticæ perfectio. Ac rursus probatur, quia oportuit Christi corpus aptissimum ad omnes vitæ functiones fuisse: eius autem aptitudinem maximè ex iusta dispositione, æque proportionem membrorum maximè pendet: color item natiuus suavis, & perfectus ex temperamento primarum qualitatum, quod perfectissimum in Christi corpore ostendimus, vnicè pendet: ac proinde in Christo fuit perfectissimus: ergo, & summa corporis pulchritudo. Altera ratio fit: quia Christi corpus teste Augustino, & Cypriano apud Soar. disput. 32. lectio. 2. §. *Ratione declaratur*, corporibus Beatorum futurum est obiectum beatitudinis: ergo Christi corpus habet summam pulchritudinem naturalem. Patet: quia sicut visionis beatæ spiritualis, seu beatitudinis primariæ debet dari obiectum summæ pulchritudinis spiritualis, ita visionis beatæ corporalis, siue beatitudinis secundariæ spiritualis debet dari obiectum secundarium summæ pulchritudinis corporalis: hoc autem non sola dos claritatis corporis Christi, sed & naturalis pulchritudo: ergo hæc in Christo erit, ac fuit: alioqui resurgenti Christo, non restitueretur antiqua pulchritudo, sed emendaretur, quod difsonum est.

humanitatis assumptæ assumptionem comitantes, non autem ab unione ita profectas eiusque titulo humanitatis inditas examinemus. Breui autem dico agilitati, donum humanitati, & corpori Christi ena viatoris adfuisse, licet enim donum hoc proprium status beati sit, quem plenè Christus tunc non habuit; quoad ea tamen status illius propria, & quæ nostræ redemptioni panali à Christo exhibendæ non oberant, Christo, eiusque corpori denegandas non sunt. De gratia sanitatum, ac potestate edendi miracula corpori, & humanitati Christi adfuisse dubitari non potest: an verò ea opera physica potentia obedientiali corporis Christi peragerentur, his inter Soarium affirmantem, & Valquium negantem est: qua in re Valquio consentio ex controu. physica de rerum actiuitate, ubi potentiam rerum obedientialem ablegavi: & gratia quidem sanitatum fortasse qualitas phyl. permanens corpori Christi fuit. Potestatem verò miraculorum solum fuisse alligatiõem extrinsecam omnipotentia diuinæ per Dei decretum de operando ad nutum, & preces humanitatis varius existimo.



CONTROVERSA II.

De necessitate incarnationis.

CERTAMEN II.

Obiectionibus occurritur.

1 **O**ppones primò illud Isaia 53. *Non erat ei species, neque decor*: ergo non erat ei corporalis pulchritudo Christo D. Negatur facillè consequentia: nam de diuinitatis pulchritudine corporis velamine occulta eum locum intelligunt Chrysofomus, & Cyrill. Alex. 5. super Isaia. 53. qui verò Patres de corporali pulchritudine eum interpretantur, dicunt sermonem esse de illa tormentis, & passione deformata, non autem de natua corporis Christi pulchritudine. Ita Vigilus Pap. 2. contra Eutyche. Terull. contra Iudæos cap. de clarit. gent. ac 3. contra Marcionem: quam interpretationem totius capitis, quod de Christo patiente est, contextus totus suadet, & præcipuè quæ immediatè ab Isaia subduntur: *Et quasi absconditur vultus eius*. Quibus prior sententia, illiusque datus sensus satis explicatur.

2 **O**ppones secundò: Christus eximie sanctimonie, pietatis, religionis, & prædicationis totus exemplar. fuit præstantissimum, haberique ab hominibus debuit; atqui Sanctos, religiosos, præcipuè Evangelicos prædicatores viros, sicut nec deformitas nimia, ita neque eximia decet pulchritudo, vt patet, atque eleganter obseruauit, expenditque vetustus synesius Cyren. Episc. lib. de encom. caluitij: ergo eximia corporis pulchritudo Christum non decuit. Distinguo minorem: affectata artificialis, atque effœminata pulchritudo eiusmodi viros non decet, concedo minorem; natiua, virilis, neglecta, modestaque eos non decet, nego minorem. Hæc quippè non libidinis alienæ, venereique amoris, sed reuerentiæ potius, sanctæque dilectionis incitamentum est, ac proinde sanctos, ac religiosos viros decet, prædicatorisque maximè inuauit, Christumque in primis iuuuit, in cuius facie tanta vis pertrahendi homines ad scholam Euangelicam homines inerat, vt solo aspectu eloquenti, tacitus plures ex Apostolis etiam ad Euangelicam Perfectionem pertraxerit.

3 **S**uperesse hic videbatur disputandum de supernaturalibus virtutibus, seu donis Christi corpori hypostaticè vnionis titulo inditis, vt de agilitate beatorum corporum propria: de gratia, & virtute sanitatis: de potentia efficiendi miracula: sed hæc oportuiores alibi habent sedem; cum hic perfectiones

DVPLEX exhibendæ rei necessitas excogitari potest, altera respectu operantis, altera respectu rei exhibendæ. Respectu operantis est ipsius determinatio in actu primo, qua operans de se se illam exhibere cogitur, respectu rei exhibendæ est intelligentia, quam res habet, vt aliquid ad sui existentiam exhibeatur. Primam vocamus actiuam necessitatem, quia est necessitas agentis ad actionem, secundam passiuam, quia est necessitas, vt res passiuè, grammaticaliter fiat: quamuis actiua illa agentis necessitas perquam aliam necessitatem rei ipsius absolute inferat in re operanda: est passiuam illam, quam diximus, actiuam aliam inferat in agente, non absolute; sed ex suppositione voluntatis efficacis erga rem, quæ non nisi alio adhibito potest existere: ac proinde actiua dicitur ex suppositione intentionis efficacis assequendi finem, de actiua illa prima respectu Dei incarnationem operantis nihil hic agendum erit: cum ex dictis controuers. de volunt. constet Deum ad nihil creatum operandum, etiam optimum, de se determinatum absolute esse: imò neque casu, quo operaturus sit, rem quam operatur cum summa perfectione, qua potest vel naturæ legibus debet, producere teneri, siue physica siue morali necessitate: quare neque ad incarnationem præstandam coactum, de se adhuc, esse posse. solum ergo de necessitate passiuam prima, vel actiua ex suppositione alicuius finis à Deo efficaciter intenti, nempè gloriæ hominis creati, vel reparationis à peccato admisso, siue absolute, siue per satisfactionem de rigore iustitiæ, vel saltem æquivalentem potest esse difficultas, quam tota præsentis controuersia expendemus, definiemusque. Quoniam verò ex aliis atque aliis capitibus ad hominis creati salutem à Deo in eius conditione intètam obtinendam ab aliis, & aliis DD. necessaria in carnatio reputatur: singulis disputationibus capita singula examinabimus.

* *